



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

1. Spes residua in Pandoræ pyxide.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

SYMBOLUM VII.

Pandoræ dolosa Pyxis.

Hesiodus. Pausanias. Natalis Comes Mythologia lib. 4. c. 6.

Ethicè.

1. Spes in Pandoræ pyxide residua. 2. Uxor mala. 3. Prudentia, præsertim in uxore ducenda.

Post hominem à Prometheo è luto efformatum, Jupiter, ut meminimus, audaciam furti cœlestis plexurus, Vulcano imperavit, ut simili ex materia effigiem mulieris effingeret. Quod ubi factum, Dij pro suis quisque opibus eam ornare iussi sunt. Prima omnium Minerva animam sensu carenti staturæ impertivit; ceteri Dij alius aliud contulerunt: Venus formam, Pallas sapientiam, Apollo Musicam, Mercurius eloquentiam; eamque *Pandoram*, hoc est, *omnium donum* appellârunt. Hæc à Jove pyxidem accepit, omnium malorum plenam, quæ debebat in orbem terrarum effundere. Principiò ad Prometheus adducta, in uxorem ei offerebatur. Sed is pro sua prudentia insidias veritus, & pestem latere suspicatus, tam mulierem, quàm donum recusavit. Igitur formosa nympa, ad *Epimetheum*, fratrem Promethei, se contulit, seque ac munera sua obtulit. Mox rapuit hominis incauti oculos venustas femina: rapuit blanda comitas, quâ vasculum auro & gemmis distinctum, in arrham & dotem ostentabat. Quid multis? placet puella, puellæque donum. Sed vix in manus accepit pyxidem, vix aperuit, cum malorum genus universum inde evolavit. Vidit, indoluit, illicò clausit, sed tamen serò. Erupit in terras, quidquid pestium intus erat abditum. Sola *Spes* hærebat in fundo; hanc, ne elaberetur, commodum retinuit; nec diu post sensit calamitates, quas cum eleganti uxore domum duxit. Ingemuit quidem crebrò imprudentiæ suæ; sed, quod in adagijs est, *malò acceptò serò stultus sapit.*

Ethica.

- I. (a) Hanc Pandoram aliqui non immeritò ad Evæ historiam referunt, quæ omnibus naturæ & gratiæ dotibus ornata, ubi vetitum potum

(*) *Spes in Pandora pyxide residua.*

mum admordit, & donum exitiale marito porrexit, omnium malorum iliadem in orbem invexit. Hinc illæ mortalium lacrimæ: hinc tot animarum naufragia, & commune exitium, nisi pro sacra anchora, aut contractæ navis tabula, relicta fuisset *pœnitentia*, & *spes* placandi Numinis.

II. (b) Ingeniosè hanc ipsam Pandoram ad mulierum arrogantiam & fraudes transferas. Malè viro! si uxori accedant dotes, nobilitas, census, forma, facundia; simul enim cum his Superbia limen subit & perfidia. Satyricus dentem stringit: Juven. Sat. 6.

Malo Venusinam (c) quàm te Cornelia, Mater
Grachorum, si cum magnis virtutibus adfers
Grande supercilium, & numeras in dote triumphos.

Idem ibidem caveri jubet à femina, plus æquo sapiente.

Non habeat matrona, tibi quæ juncta recumbit
Dicendi genus, aut curtum sermone rotato
Torqueat enthymema, nec historias sciat omnes.

Aut quæ

Committit vates, & comparat inde Maronem,
Atque alia parte in trutina suspendit Homerum.

De divitijs addit:

Nil non permittit mulier sibi, turpe putat nil,
Cum virides gemmas collo circumdedit, & cum
Auribus extensis magnos commisit elenchos.
Intolerabilius nihil est, quàm femina dives.

De insidioso Pandora munere supra audivimus Horatium. Quis nescit; primæ feminae pomum in quas miseras nos præcipitavit. Nimirum omnium ferè calamitatum autores mulieres viris extiterunt. Sive ament, sive oderint, timendæ sunt. Cum maximè blandiuntur, maximè insidiantur. Per illecebras sibi aditum faciunt ad nocendum.

timeo Danaos & dona ferentes.

Ait quidam apud Maronem 2. Æneid. Sed nulla peræque dona timenda ac muliebria. Primæ feminae donò, quod dixi, adhuc morimur. Nemo fidat; ubique Pandora pyxides suas ad fallendum instruunt. Quoties fit, ut adolescentes, ætate florentes, morbis incognitis, absumantur, quia munusculis amatorijs incautè capiuntur. Sic Medea misit Creusæ, uxori à Jafone superinductæ, scriniolum, è quo subito prorumpens

D 3

(b) *Vxor mala*, (c) *Pauperem & ignobilem ex Appulia*.